ſententias tam recentiorum quám vetuſtorum videbit, novo quodam modo ita connexas, ut lucem mutuam ſibi invicem adferant, adeoque dextros medendi modo ſuppeditent ſine ſuperfluis medicamentis et remediis, ſed modo iis, quae neceſsaria ſunt et accomodata.

In iſtis igitur quinquefariam ſectis

I. Narrat obiter medicorum fortunas; quales vero ii eſse debeant ſerio diſserit.

II. Natura vero quid ſit clare ut potuit exponens, et hinc vim ejus quanta ſit declarans, uſum frequentem abundantium medicamentorum tollit, oſtenditque qualem ea noxam inferunt.

III. Naturae permittens illos, qui a morbis jám convicti ſunt, repugnantiam ejus aperte declarat.

IV. Limitibus etiam et quidem probabilibus venae ſectionem in morbis acutis circumſcribit.

V. Denique vulnera ſua canit et morbum, febrem ſemitertianam maleficam.

Buhureſtini 1794.

POE-